



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt LXXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT LXXXVIII.

S. Aegidij monasterium, apud Noribergam.

1140.

ERectum est hoc monasterium anno Christi 1140. à *Conrado III.* Imp. Sueuorum duce.

S. Viti monasterium, in d. Salisburgensi.

1171.

1171.

FVndauit id *Diethmarus* Comes de *Leonberg* ac *Lungionum*. *Leonberg*, nunc *Leonberg* arx est inferioris *Bauariæ*, quam *Isara* præterfluit, *Lungionum* *Charihorum* pagus est ultra *Taurum* montem, vulgariter *Im Lungau*. *Diethmarus* filius fuit *Babonis* Comitis *Abenspergensis*, prole 32. filiorum inclyti. Hic *Diethmarus* inferiori *Bauaria*, ad annè *Rot*, in loco qui *Elsenpagen* dicitur, instituit monasterium pro *Benedictinis*; translatum deinde anno 1171. per huius filium aut nepotem *Volframnum* comitem de *Dornberg*, ad montem *S. Viti*, prope vicum *Neumerckt* (vnde hodie *S. Viti* monasterium dicitur) idque cum consensu *Adalberti* *Salisburgensis* Archiepiscopi & *Henrici* Abbatis *Ellenpæcensis*; quia locus hic multò commodior erat monasticæ quieti ac deuotioni. Hactamen legè, vt in *Elsenpacensi* Ecclesia nihilominus duo vel plures fratres ad exsequendâ ibi diuina officia permanerent.

Astipulati sunt huic translationi *Eberhardus*

duſ

dus de Iulbach, & Henricus de schauberg, prædicti Vvolframi vxoris fratres, ad quos aduocata eius loci spectabat, qui aliquot prædijs & alijs adminiculis monasterium iuuarunt. Ita Hundius.

Vrsinium siue Irsingum, in Germania.

VRsinium vel (vt nunc corruptè dicitur) *Irsingum*, olim castruum eo ipso loco conditum, vbi hodie S. Stephani templum in editiore colle conspicitur, nunc verò monasterium ordinis Benedictini amplissimum ac pulcherrimum, paululum infra Khauffburnium oppidum Imperiale, non procul à Vverachio amne, in medijs densissimisquè nemoribus situm: fundatum & locupletatum est anno Christi 1182. regnante *Friderico Barbarossa*, Sueuorum Duce, & Imperatore, ab *Henrico* Marchione de Rumsperg & eius filijs *Godefrido* ac *Bertholdo*, & *Irmelgarde* filia, in media Ecclesia ibi sepultis, cum tali inscriptione:

1182.

*Hic generosorum feliciter ossa quiescunt.
A Rumsperg Comitum Bertholdi, & God-
federici*

*Irmelgarde simul dilecta cumq; sorore,
Huius cœnobij qui primi ritè fuerunt
Auctores, vera commoti relligione.*

Ergo Deo viuant aeterna pacifruentes.

Z

Henr i-

Henricus fundator profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Vdilhilde coniuge Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & reuectus inde ad Vtenburram, ibi honorificè est sepultus; postea ex Vtenburra ad Vrsinense monasterium relatus vnà cum fratre Bertholdo honorifico mausolæo conditus est, sub Abbate eius loci XXIII. Paulo Neccharo. Secundus Henrici filius fuit Bertholdus, qui obiit in quodam conflictu prope Rhenum. Irmelgardis autem filia nupsit Baroni cuidam de Vltimis, genuitque Vdalricum de Vltimis, magnum in primis Vrsinensis cœnobij benefactorem, habitantem in Adelburgo Athesinæ regionis castro.

CAPVT LXXXIX.

Seon siue Seun, monasterium in Germania.

Est illustre monasterium *Sein* in valle *Sein*, prouinciæ Treuerensis, conditum ab *Henrico* Comite de *Sein*, quod confirmauit Ioannes Archiepiscopus Treuerensis. anno 1202.

1202.

Aliud à *Seien*si monasterio, est Bauaricum monasterium *Seon* siue *Sevym* vel *Sevven*, secundum vetera diplomata nuncupatum, & fundatum ab *Arbone* Comite *Damasiano* ac *Andecensi*, qui in *Bauarica Norica*, non pro-

cul